



1. Antonij s. Pauli / Diss. de Libertate
Christiana, Halle 1706.
2. Baumgarten s. Sijim. Jac. / Diss. de
Christo Homine obligatione Legum
Divinarum antecedente et externa
soluto Halle 1742.
3. ——— Diss. de Efficacia S. Scripturae
naturali et Supernaturali, Halle
1742.
4. ——— Diss. de Vocatione Dei ad
Salutem, Halle 1742.
5. ——— Examen Miraculi Legionis
fulminatricis, Halle 1740
6. ——— Diss. Vindicias textus Graeci N. T.
contra Joh. Harduinum exhibentem, Halle
1742.
7. ——— Diss. de imputatione peccati Adami,
tunc posteris facta, Halle 1742.

DAN. SEVERINI SCULTETI
DISSERTATIO

DE,

SCIENTIA
THEOLOGICA

ET

PIETATE

DOCTORUM EVANGELII,

Quæ utriusque sit necessitas in
ECCLESIA DEI.

FLENSBURGI,

Imprim. CHRISTOPH. VOGELIUS, Anno MDCCXII.



I. N. D. N. J. C.



Ugustanæ Confessionis Theologos de *scientiâ*
Theologica & pietate Doctorum Ecclesie & de utriusque
quidem necessitate sententias in gremio suo fove-
re vere dissentaneas, nullus mihi persvadeo.
Id tantum opus est, ut, quid de ea statuen-
dum sit, perspicue atqve accurate propo-
natur. Est enim modus in rebus: sunt certi deniqve fines,
qvos ultra citraqve neqvit consistere verum & rectum. Fi-
nibus his recte constitutis, liquebit summam inter illos hoc
in argumento intercedere concordiam. Rem omnem bre-
vissime qvibusdam complectar assertionibus, qvovsqve id
in præsens potero, divina sublevatus ope, idqve gravibus
de causis, qvas libens fileo. Sic ergo Theologos nostros
arbitror sentire

De necessitate solida rerum divinarum scientiæ.

Pastoribus gregis CHRISTI amplissima ac solida Scripturæ S.
rerumqve in ea revelatarum notitia ad id penitus est neces-
saria: ut curam Ecclesiæ *tam plene* agant, qvam id humana
infirmas, piis qvibusqve ad mortem usqve insita, permit-
tit, atqve adeo Ecclesiæ salutem *abunde* promoveant.

Ni enim pandectæ divinæ, cumqve illis DEI lex &
Evangelium, probe innotuerint: sæpius illi impingent ex
imprudencia, jam in exponendo DEI Verbo, jam in deli-
nean-

neanda myſteriorum DEI ſanctæque ἀναγοφῆς indole. Πλανῶ-
θε, μὴ εἰδότες τὰς γραφάς. Confuſa rerum notitia non niſi jeju-
na, inficeta, perplexa parit verba.

Ni illa probe innotuerint: haud poterunt res fidei ſoli-
de probare, contradicentium os obturare, res morum juſto
cum verborum pondere urgere, delictaque prægnantibus
carpere rationibus.

Ni illa probe innotuerint: haud pauca, nobis patefa-
cta, ſcitu utilia DEI myſteria, nec pauca egregia moralia,
monita, ſilentio prætermittent, non niſi in primis hærebunt
lineis, eademque ſemper oberrabunt chorda: ni forte ex e-
ruditis ſcriptis quicquam mutuabuntur. Namque quod
haud didicit, nemo docere poteſt.

Ni illa probe innotuerint: proment quandoque fig-
menta humani cerebri, dogmatibus fidei ac morum directa
fronte adverſantia, ſœni ac ſtipulæ nomine DEO inviſa, ſi
vel maxime fundamentum Spiritualis ædificii, Dominum no-
ſtrum JEſum CHRiſtum, quantum ad ea, quæ ſalutis ergo de
eo neceſſario ſciri oportet, recte animis hominum inſinua-
rint per ſtudioſam eorum, quæ de eo ſalva ſalute ignorari
haud queunt, inculcationem.

Quisquis ergo myſteriorum DEI œconomus eſſe volet,
plene ſuum faciens officium, huic inde à primis annis per-
omnem vitam aſſidue legenda eſt S. Scriptura, quo verba
ejus illi reddantur quam notiffima. Ἀπὸ ἐρεφους. Meditanda
quoque eſt ſollicite, ut verborum ſententia innotefcat. In-
terveniente inſuper S. literarum ſcrutinio, quærenda eſt am-
pla ſolidaque ſcientia cum legis tum Evangelii.

Sed & audiendi ſunt atque conſulendi, qui ante nos
DEI Verbum verſarunt aſſidue, ruminarunt ſtudioſe. His
enim haud parca manu DEus ſuorum impertiit myſteriorum
notitiam: quæ in parte per ſuam vel ſocordiam vel

ιδιογενεμο-
σύνην

non posuerunt ei obicem. Inde adeo, quod ex DEO didicerunt, viva effuderunt voce calamove in usum communem.

Ast nihil eorum, quod afferunt, citra justum admitendum est examen, perque inconsultum applausum. Omnia probate. Quod bonum est, tenete.

Quisquis jam in iis, quæ recte ab illis dicta sunt aut scripta, illos audit cum assensu & obsequio, is DEum audit ipsum, ipsique auscultat DEO, salutari suo cum fructu. Quisquis ex adverso illos superciliose spernit in iis, quæ recte tradidere, is DEum spernit ipsum.

Abist proinde à nobis hæc fastuosa infania longissime, ut Theologorum Evangelicorum, sive recentiorum, sive priscorum, scripta adunco suspendamus naso!

Necessitas pietatis Doctorum Ecclesiæ.

Nec minus istam, quam jam promam, pietatis Doctorum necessitatem omnes nostræ Ecclesiæ Doctores facile admissuros esse, plane existimo.

Infucata pietas, contritio pura sancta, fides viva justificans, ingenuus DEI amor & timor, spes opportuni divini auxilii læta, sincerus amor proximi, impensa commissi gregis dilectio, reliquæque omnium virtutum corona, vel maxime opus est Ecclesiæ Antistitibus, ut in arduum suum *tam accurata* cura incumbant munus, quam id humana concedit imbecillitas, atque sic salutem Ecclesiæ provehant *largissime.*

Si enim illis mens defuerit pia: nihil certe, ad sacrum munus pertinens, suscipient in se, nihil continuabunt, ex viva in DEum fide, nihil ex sancto DEI & Ecclesiæ amore, nihil ex eo gloriæ divinæ humanæque salutis desiderio, quod DEI & Ecclesiæ amor procreat, nihil ea cum animi promptitudine, ea cum industria, quam idem ille amor succendit,

nihil ea cum moderatione animi ac circumſpectione, quam ſanctus DEI metus generat, nihil ea cum animi fortitudine eaque cum æqvanima adverſitatum tolerantia, quam ſpes divinae opis gignit, nihil primo ac præcipue in DEI gloriam & concediti gregis ſalutem.

Si pius animus ab Eccleſiæ Presbyteris: nil, quod ſui eſt muneris, peragent, niſi ex amore & deſiderio vel ſtatorum ſui muneris redituum, vel peculiaris lucri, vel favoris & laudis humanæ, nil niſi ad captandum populi favorem, ad reditus officii porro fruendos, peculiareve commodum conſequentium, ad famam eruditionis vel induſtriæ ſibi conciliandam &c.

Si mens fuerit læva: multa haud decentia effutient in cathedra ſua ex faſtu, ambitione, avaritia, vindictæ cupidine, invidia, φιλονεικία &c. Si pietatis ſinceræ defectu laborabunt: ſimulate quidem illam præ ſe ferent in verbis & factis haud raro paſſim, aſt frequenter quoque & in privatis congreſſibus, & domi ſuæ, prævia deliberatione, ac reclamante conſcientia, ea peragent ac garrient, quæ cum DEI lege nullo modo congruunt.

Si animus fuerit, inertis otii & luxuriæ amans: profeſtum ſapientiæ cæleſtis haud quærent, meditationem juſtam, concionibus præmittendam, negligent ſæpiſſime, multa dehinc effutient inſicera ac inutilia, crambemque millies jam propoſitam, recoquent.

Per ſuam vero hanc improbam ἀναγοφήν univerſam, cum illa innotuerit, ovibus ſuis ſcandalum dabunt graviffimum, dabunt, inquam, illis anſam peccandi ampliffimam. Illam ſi arripiant oves ſtolide: cum cæco ſuo Duce in foveam illabentur.

Ex adverſo cum pia Paſtoribus fuerit mens: id, quod cum DEI voluntate congruit, ex aſſe, exceptis innumeris huma-

humanæ imprudentiæ ac præcipitantiæ lapsibus, ac rectissime facient. Non ergo solo ore suo, sed & ipso suo vivo exemplo oves in viam contritionis, vivæ fidei novique obsequii ducent. Id quod in multorum animis, qui ad eorum mores attendent, vim habebit magnam. Quæ cum ita sint, Pastores Ecclesiæ certe indigent candido pietatis sinceræ ornatu ad Ecclesiæ salutem *copiose* curandam & officium boni Pastoris *integre* præstandum.

Sed & illibatam pietatem colere Ecclesiæ Presbyteri necesse habent *ad suum ipsorum statum incolumem*. Pietas enim promissa DEI habet amplissima, ad hanc & futuram vitam pertinentia. Pietatis contra defectus, quousque non resipiscent, reddet illos homines *καταγεγραμμένους*, homines æternæ mortis sententia dignos, homines *ἀδόκιμους*, homines nullius apud DEUM pretii, תועבה, homines, ob malitiam animi & scandala data magis minusve DEO invisos. Pietatis defectus reddit illos homines veniæ, adoptionis, favoris, *προνοίας* & patrocinii divini ipsiusque olim hereditatis æternæ expertes, adeoque homines omnium miserrimos. Pietatis insuper defectus reddet omnem illorum industriam operamque, qua ejus causas impellentes, scopum, aliasque vitiosas circumstantias, DEO fastidiosam, omnisque benignæ compensationis divinæ expertem: nec ulla unquam sancta conscientiæ quiete hoc in statu fruentur, quam etiam in suo fuerint munere laboriosi. Frustra denique olim ad suos provocabunt labores sacros egregios coram Judice generis humani justissimo, cum primi ævi Christiani thaumaturgis male moratis Doctoribus, Matth. 7.

Quem Ecclesiæ Præfectum hæc terribilia impietatis symptomata, & consecraria ab ejus semita non deterrent, quemque fructus pietatis *ἀνευδιήγητοι* ad illius studium non inflammant, ejus malitia est immedicabilis. Ne ipsæ quidem iratæ

iratae DEI castigationes in illo quicquam quandoque proficiant. Tantum abest, ut vana illa persuasio, quod pietas Pastorum ad pietatem & salutem auditorum promovendam penitus sit necessaria, eum redditura sit meliorem.

Uti vero Doctores Ecclesiae nostrae probe inter se de eo conveniunt, quod pietas intemerata Presbyteris Ecclesiae penitus sit necessaria ad officium suum exacte faciendum, & ad gregis subditi salutem abunde procurandum: ita nullus dubito, quin verissimus inter illos, dummodo rem fatis recte explicueris, sit consensus

De sufficientia notitiae rerum divinarum.

Res vero ita se habet.

Notitia solida & inculcatio strenua earum legis & Evangelii partium, quae ad exercitium contritionis, fidei vivae novique obsequii, ad veniam item, adoptionem & salutem consequendam scitu summe sunt necessariae, valde saltem utiles, ad id sufficit, ut Presbyteri Ecclesiae ejus respicientiam, pietatem & salutem *sufficienter* promoveant, atque adeo suum officium, quantum ad salutem Ecclesiae *satis est*, faciant.

Ampla vero & solida notitia assiduaque inculcatio legis & Evangelii sufficit Presbyteris ad salutem Ecclesiae *sufficientissime* provehendam. Si jam vel maxime gregis Christi Pastores parum fuerint pii, dummodo tamen probe imbibierint, ac indefesse docuerint legem & Evangelium, paræneses quoque, epanorthoses, elenchos & solamina, penitus necessaria ac sufficientia, addiderint (ad quod sua illos solida scientia idoneos, sua vero humanæ laudis, gratiæ & compensationis cupido, promptos reddet) *satis* illi promovebunt auditorum conversionem, justificationem, adoptionem, renovationem & salutem. Id tantum opus erit ex parte auditorum, ad salutarem pastoralis industriæ fructum, per-

percipiendum: ut vocem DEI ex ore Pastorum frequenter & attente audiant, ut pretiosum à vili (quod admiscebunt haud raro) sapienter segregent, & animum suum adversus gratiam Spiritus præparantem non obfirmet.

Etenim DEI Verbum, est *imber* cælestis, id, quod DEUS voluerit, nobis haud ponentibus obicem, dans effectum. Est DEI Verbum *semen* vivum, procreans, nulla, objecta remora, fruges nobilissimas. *Lex DEI* gignit agnitionem peccati, occidit protervos peccatores per suam mortis sententiam asperrimam, reddit fatuos sapientes, & oculos hominum in semita totius suæ vitæ lucidos. *Evangelium*, est res, ex instituto DEI ob virtutem ejus infinitam hujusque operationem, cum Verbo in quovis attento auditore, conjunctissimam, efficacissima, quo salus cuivis, qui assensum Evangelio ex ejus efficacia dederit, contingat. *Δύναμις Θεοῦ*. Jam vero id sufficit plane ad exoptatum laboris fructum una cum divina benedictione, agros conferi bono semine à colono, negotii hujus perito, studiose: sufficit areolis vivas inferi plantas, easque limpida rigari aqua ab hortulano: sufficit ægris salubria propinari medicamenta à Medico non indocto: sufficit ab experto chirurgo ulcerosis & vulneratis congrua imponi emplastra: sufficit à ludi magistro *διδασκαλῶν* docilibus juvenibus lingvas artesque liberales perspicue ac compendiose inculcari: sufficit esurientibus escam salubrem, sitientibus potum congruum ab œconomio præberi. Num mores agricolæ, hortulani reliquorumque male vel bene se habeant: ad exoptatum solertis & prudentis operæ successum nil facit. Ille enim non ab hominum, media applicantium, affectu, sed à mediorum efficacia pendet. Interim optandum est, salutaria media ad salutares effectus non nisi ab optimis adhiberi hominibus, nec nisi in eorum, qui aliena indigent opera, commodum.

B

Bilea-

Bileamus homo fuit notæ pessimæ: Cum vero ejus vaticinia ipse DEus Mosaico inseruerit pentateucho per sui Spiritus suggestionem: oportet sane illa ad id obtinendum usq; ad mundi finem sufficere, cujus gratia ibi sunt inserta. Tam amans DEus fuit populi Hebræi, quousque ille in sancto DEI cultu persistit: ut non fuisset in sacro munere improbum Eli ejusque filios nequam, similisque farinæ Sacerdotes alios, toleraturus, si, quod illi recte docuere ac fecere in sua statione, haud suffecisset ad Ecclesiæ salutem promovendam. Vox Jonæ satis superque promovit Ninivitarum conversionem. Ipsemet interim, id quod supra probavi, ob pravam animi indolem DEO valde displicuit. Si peccata malitiæ enervant vim sanæ Pastorum doctrinæ, si eam ad convertendos & renovandos homines reddunt haud sufficientem ac ineptam: totus sacer codex nobis erit abolendus. Etenim & Moses & David & Salomo & Hiskias & Petrus & reliqui omnes Prophetæ atque Apostoli aliquando in ea statione, in qua sacra sua adornarunt scripta, deliquerunt enormiter. Monstruosa & absurda illa est metamorphosis: cum unus idemque homo, unam eandemque veram fidei & morum doctrinam constanter proponens, jam cum pius est, dicitur esse verus Prophetæ, cum vero à pietate desciscit, falsi Prophetæ nomine venit, cumque deinceps, ad meliorem rediens frugem, in ordinem verorum Prophetarum iterum recipitur, cumque porro ejus doctrina sana, nil mutata, jam asseritur esse, vera prophetia, hominum salutem sufficienter promovens, jam vero prophetia falsa, ad salvandos auditores parum vel nihil faciens. Hæ sunt meræ metamorphoses Ovidianæ, Poetis & pictoribus relinqvendæ, quibus quidlibet fingendi & audendi semper fuit æqua potestas.

Misit Servator noster ante suum obitum aliquando Judam Ischariot cum reliquis Apostolis ad prædicandum Evangelii-

gelium Matth. 10. Is vero erat Diabolus, Satanæ æmulator, ex præpollente amore rerum mundi ad enormia varia delicta summe proclivis. Num vero hic Evangelii sincerus præco ob istam animi sui malitiam fuit pseudopropheta? Num verbum Evangelii, ex ore ejus prodiens, ob perversissimum, hominis ingenium non suffecit ad oves familiæ Israelis fide, CHristi imbuendas? Ne sic deliret quisquam, ut id affirmet! Scribæ & Pharisæi sederunt quondam in cathedra, Mosis scriptis docendis destinata: multaque ex Mose in ea recte docuerunt. Ast opera illorum, alia quæ facti, ut sic loquar, substantiam, alia quæ suas circumstantias voluntarias fuere pleraque vitiosissima. Nihilo secius jussit Servator, quicquid illi, non ex suo ingenio ac prolubio, sed ex Mose inculcent, in animo studiose asservari, & in vitæ cursu effectum dari. Ex eo prona sane consequentia id fluit, doctrinam Scribarum ac Pharisæorum, quæ in parte cum Mosaicis congruebat literis, non fuisse pseudoprophetiam sterilem ac noxiam, sed doctrinam, ad vitam recte componendam, perquam utilem. Lubens dicerem eam etiam ad salutem, plane fuisse sufficientem: ni ex crassa ignorantia ea prætermisissent, quæ de salute, non per legis observationem, sed per Messiam adipiscenda, erant tradenda.

Inter primos Ecclesiæ CHristi Doctores, thaumaturgos insignes, spirituumque impurorum exactores, multi fuere, qui ob male actam vitam olim eheu in orci tenebras ejicientur. Quin amplam ac solidam Evangelii legisque notitiam habuerint, ambiguum haud est. Absit vero longissime atrox illa calumnia, ut in censum Pseudopphetarum ipsos, eorumque doctrinam in numerum sterilium, pseudopphetiarum, referamus. Suffecit sane dulce mel Evangelii, quod ex istarum, per data scandala pungentium, apum ore manavit, ad sanandas & reficiendas Judæorum,

gentiliumque animas. Secus Salvator noster optimus eorum opera haud fuisset usus. Et sane misera foret fors hominum: si à Doctorum pietate Verbi efficacia auditorumque conversio & renovatio, justificatio consequenter, adoptio ac salus essent suspensa. Namque quam facile quamque frequenter id contingit, ut Ecclesiæ Præsules, quin imo pleraque ejus membra primum suum sanctum amorem ejusque exercitia missa faciant. Quomodo facta est meretrix urbs, quæ antehac DEO erat fida! Scilicet haud raro argento puro multum scoriarum, vinoque generoso aqua in magna admiscetur copia Esai. I. Quantum mutati in pejus sint legati DEI, Asiaticis Ecclesiis præpositi, Apocalypsis abunde nos docet. Quod vero propterea eorum Evangelium desierit esse sermo DEI vivus, magnam in attentis animis exerens efficaciam, quovisque ancipite gladio penetrantior: id credat Judæus Apella.

Paulus prædicavit aliis legem & Evangelium, sufficientissimo eorum, ni in auditoribus fuit remora, cum fructu. In hac vero sua functione potuit ipsemet homo esse *idoneus*. Potuit ergo per suum præconium alios salvare, salutem, inquam, eorum sufficientissime promovere, semet vero ipse eodem ipso tempore per mores improbos perdere. Ea de re Paulus ita plane persuasus fuit, ut sibi id censuerit omni cavendum esse studio. Imo vero DEus permittit, Satanam per contumeliosissimas multas persecutiones Paulo multas infringere alapas: nequæ stulta animi elatio eum, alios in cœlum per Evangelii præconium extollentem, in gehennam deprimeret.

Satis est ad hominum conversionem & salutem (ut paucis multa complectar, plurimaque alia, huc pertinentia, quæ addi possent, prætermittam) os Pastorum, docendis recte lege & Evangelio, clangere instar tubæ æneæ & cymbali probe
 tim-

tinnientis. Namque tubarum & cymbalorum concinnus clangor non solas verberat aures, sed & ipsos animos hominum mire commovet: si vel maxime bipedum nequissimus tuba insonuerit. Satis est ad boni agri culturam ac fertilitatem, debito eum conferi semine, vivaque rigari aqua. Si non contigerit agro ea felicitas, ut Paulum habeat satorem, & Apollo *ποτιστρα*: sufficiet ad opimum boni agri fructum, avarum Judam plantare, & *φιλιδων* Demam rigare. DEUS enim, semente recte facta, faciet, ut ex vivido semine succrescat floridus triticeus culmus: dummodo ager non induerit tritæ semitæ duritiem, sed in suum semen receperit gremium. Induet DEUS culmum granis quam multis triticeis: dummodo anima auditorum nec petrinam duritiem nec ingentem spinarum numerum induerit in solis æstu aliisque vitæ hujus casibus.

Ast adversus istam salubris doctrinæ sufficientiam vulgo objici solet, *auditores magis ad mores quam ad verba Pastorum attendere, nullam illos fidem verbis, ni mores responderint, adhibere: Was nicht von Herzen gehet / das geht nicht zum Herzen.* Ref. Ita sane est. Damnosum ac perniciosum id est scandalum, quod improbi Pastores suis præbent ovibus. Væ illis! Præstaret eos nunquam hanc in lucem esse editos. Summa vero insania est, sanam Pastorum vocem surdis excipere auribus, pessimumque eorum exemplum imitari. Id enim Deus vetuit. Jusfit ex adverso nos Christum sequi præeuntem: Jusfit nos vestigia sanctorum, in S. literis laudata, & inter coætaneos oculis obvia, terere. Interminatus est gravissimam vindictam his, qui in tentationibus mundi succumbunt. Qvi proinde eandem cum male moratis Pastoribus iverit viam, eandem cum illis luet pœnam: nec quicquam id olim eum juvabit, cum primipilos causabitur rectam deferuisse viam. *Quam enim audivisti, reponetur, sanam fidei morumque doctri-*

nam ex tuis Pastoribus, etiam male moratis, ea fuit vox DEI & Servatoris, vox Prophetarum & Apostolorum. Huic debuiffes obtemporare, & mores quorumcunque, ei adversos, detestari, averfari, fugere, redarguere. Quoties tibi dictum est, illum esse beatum, qui in peccatorum via non consistit! Habeas cum illis jam id, quod voluisti ac meruisti, præmium.

Proverbium quod attinet vernaculum, id vel maxime, recte si applicetur, veriori favet sententiæ. Quas enim ex ore Pastorum audimus promissiones ac minas, DEI Verbo consonas, auctorem habent DEum: cumque ejus serio limitato proposito exactissime congruunt. Exhortationes & dehortationes Pastorum decentes id sunt, quod DEus quam maxime à nobis vult attendi. Summam ergo ista omnia, habent efficaciam in attentis ac moratis auditoribus, cum per se, tum ob *ἐπιγενῶν* Spiritus S. illa in decente eorum ascultatione perpetuo comitantem.

Rem insuper omnem per quandam illustrare possumus similitudinem. Parens filium suum Titium ablegaturus est ad Academiam, adjungit illi Cajum, hodegum viæ rectæ scientissimum, Sempronium, Medicum experientissimum, hortatur Titium, ut solam eam viam, à Cajo monstrandam, & diætam servet, à Sempronio præscribendam. Titius alta voce exerto digito rectam ostendit viam, commendat eam impense, periculum, à deviis semitis imminens, exponit luculenter, dehortatur ab illis graviter. Nec minus Sempronius sufficienter exponit multis cum hortamentis, quæ sanitatis ac vitæ ratio sit Titio habenda.

Numquid hæc non sufficiunt Titio ex parte Caji & Sempronii ad id, ut sanus, vivus ac incolumis in illustrem eruditionis scholam perveniat? Nemo, qui sanæ mentis est, id ibit inficias. Dices, Cajus suo quoque exemplo una
cum

cum Sempronio præire hoc in negotio debebant Titio. Fa-
 teor. Si vero hac in parte suum illi officium neglexerint:
 num Titius justam conquerendi causam habebit, quod suf-
 ficiens manuductio in capessendo itinere & sanitatis agenda
 cura ipsi defuerit? Nullam profecto. Numquid non Titius
 gravissime erit culpandus eo nomine: quod optimis Caji
 ac Sempronii monitis insuper habitis cum Cajo in viam de-
 flexit cœnosam, lubricam, salebrosam & latronum insidiis
 expositam, cum Sempronio vero vino cibisque semet in-
 gurgitavit, atque sic fortunarum, sanitatis & vitæ jacturam
 fecit? Habeat sibi.

Sed & hoc sufficientiæ ejus salutaris doctrinæ, quæ non
 condecoratur per docentis sanctos mores, obverti solet, *im-
 proborum Presbyterorum sanam doctrinam non esse DEI vocem, sed sermo-
 nem mere humanum, fluere enim illam ex mera humana imaginatione re-
 rum divinitus revelatarum, cum mundus haud accipere queat S. Spiritum,
 cum animalis homo non recipiat ea, quæ sunt Spiritus DEI, cum impii homi-
 nes, qui Evangelio assensum præbent, ideo id tantum credant, quod ex pa-
 rentibus ac præceptoribus audiverunt, id esse à DEO revelatum. Inde adeo
 quam facile à vasis seductoribus pestmodum potest subverti.* Ref. I. Ho-
 mines, summo cum amore ac desiderio rebus terrenis ad-
 dicti, in hoc suo statu Spiritum S. accipere nequeunt ad con-
 testandam illis datam veniam, & adoptionem factam, ad
 tranquillandam eorum conscientiam, & exhilarandum ani-
 mum. Hæc enim beneficia in illos non cadunt. Dari vero
 illis potest, actuque datur, quoties DEI Verbum legunt,
 audiunt ac ruminantur, S. DEI Spiritus: ut gratia Spiritus,
 ad resipiscentiam præparans, eos per Verbum idoneos red-
 dat ad contritionem ac fidem, ut porro, si gratiæ præpa-
 ranti per malitiosam animi obfirmationem non obstiterint,
 malitiose, gratia Spiritus, resipiscentiam operans, iis con-
 tritionem & fidem vivam habitualem impertiat &c. Difer-
 tiffi-

tiffime id docent verba Nehem. Cap. 9. 20. 26. *Dedisti majoribus nostris Spiritum tuum sanctum ad eos inibucndos salutari scientia, notitia puta rerum, ad fidem, pietatem, salutem pertinentium. Ast illi denegarunt tibi obsequium, rebellarunt, inquam, adversus te. Nehemias Cap. 9. 30. rursus ait: Tu majoribus nostris luculenter exposuisti res salutis per Spiritum tuum interveniente ministerio tuorum Prophetarum, Esa. 63. v. IO. II. hæc legimus verba. Angelus faciei, Filius Patris unigenitus, in Israelitarum anima posuit Spiritum suum sanctum. Ast illi obsequio debito destituerunt & tristitia affecerunt Spiritum ejus sanctum.* Cum jam Spiritus S. quibusvis impiis in quovis attento Verbi usu detur ad eos erudiendos per gratiam præparantem, ad eos convertendos per gratiam operantem, cum impii multi per frequentem lectionem, auscultationem ac meditationem Scripturæ, concionum, scriptorumque theologicorum, egregiam legis atque Evangelii notitiam & assensum consequantur: quo jure negabimus istam notitiam & assensum, interveniente Verbi strenuo usu, dari impiis à Spiritu S. atque sic prima conversionis eorum lineamenta à Spiritu DEI duci, totumque hoc arduum negotium ab illo tandem absolutum iri, ni semet illi perpetim contumaciter opposuerint? Num dicemus, Spiritum DEI dari quidem impiis in Verbi usu ad eos erudiendos & convertendos, ast illum plane in illis esse otiosum, nihil effectum dare, nullum, ne tenuè quidem, exordium emendationis animi in illis facere, inde adeo notitiam & assensum legis Evangeliique ex Verbo ortum, esse in impiis purum putum humanæ mentis figmentum. Procul à nobis sit hoc contumeliosum effatum.

Ref. 2. Homines impii non recipiunt in usu Verbi res, à Spiritu DEI de salutis humanæ negotio revelatas, per pronum assensum *vivum*, per assensum, inquam, cum fiducia, cum desiderio, petitione ac spe gratiæ conjunctum, habentem ante se sanctam contritionem. Sunt enim in suo impie-

impietatis statu homines animales. Sunt, inquam, homines, perversum animæ suæ iudicium & lubitum sequentes. Sunt minimum in eo animales: quod statuunt, res hujus mundi sibi summe esse amandas, desiderandas, quærendas & usurpandas. Statuunt eorum quidam, si vel maxime salutis ratio, quam Doctores Christiani urgeant, sit habenda, eam adhuc aliquamdiu esse procrastinandam. Quærenda, ajunt, pecunia, voluptas, honor, primum, salus post nummos.

Utut vero impiorum nemo, quousque talis est, τὰ τοῦ *ἄσπαστος* per vivum recipiat assensum: multi tamen eorum, illa per *exanimem* recipiunt assensum, nefariæ illorum refectioni longissime præferendum, interveniente Verbi usu. Uti Diaboli absque fiducia, desiderio, petitione & spe gratiæ (veniam enim consequi haud queunt) credunt, DEUM esse, trium, JESUM CHRISTUM esse redemptorem totius humani generis &c. ita multi impii absque contritione prævia, absque fiducia, desiderio, petitione & spe gratiæ (obfirmant enim animum in proposito continuandæ nequitiae, in summa rerum mundi dilectione & cupidine) firmum præbent assensum legi & Evangelio in omnibus aut plerisque aut quibusdam ejus partibus.

Qui impii fidem habent Evangelio, credunt ei, ut supra probavi, ex beneficio Spiritus S. ex beneficio gratiæ præparantis. Is enim suum opus in illis cœpit, & eo usque pertendit, ut dederit illis peccatorum agnitionem, notitiam item & assensum quendam mysteriorum fidei. Libenter, suum illud opus consummaturus esset, largiendo contritionem, propositum innocentiae morum, fiduciam, desiderium, petitionem & spem gratiæ: ni illorum obstaret malitia contumax, ni, inquam, nefarie hæc dona respuerent, ni amorem, desiderium & abusum rerum mundi his donis præferrent longissime.

C

Qva-

Qvatenus jam impii qvidam legi & Evangelio calculum æqvitat̃ & veritat̃ citra hæſitationem adjiciunt: ita illi ſunt homines, tenui qvadam ratione, qvantum ad prima initia, ſpirituales, i. e. homines Sancti Spiritus ſuggeſtionem ac inſtinctum ex parte aliqva ſeqventes, & homines qvidem gratiæ ad reſiſcentiam præparanti aliqvo modo morigeri. Qvatenus vero illi reſpuunt contritionem, ſincerum innocentis vitæ propositum, ſanctam in DEI miſericordia & CHRISTI merito fiducialem complacentiam (*ευδονίαν*) fervens gratiæ deſiderium, cupidam ejus ſollicitationem, ſpemqve huic petitioni innixam indubiam: ita illi ſunt homines in præcipuo negotii ſalutis momento animales homines in æternum ſuum properantes exitium.

Dices, *nimis hoc eſſe absurdum, qvod unus idemqve homo Scripturæ diligens ſeruator qva exile qvoddam negotii ſalutis primordium ſit ſpirituale, qva ejus progreſſum vero & ἀκμὴν animalis.* Ne id tibi ſit paradoxum. Namqve homines pii qvoqve ſunt & carnales & ſpirituales. Aliqvo puta modo homines ſunt carnales. Sunt enim homines corporis ſui commodum ac voluptatem immoderate aliqva ex parte adhuc deſiderantes ac qværentes: qvatenus res hujus mundi in corporis ſui gratiam adhuc aliqvo modo nimium diligunt & appetunt. Hinc multi vitioſi motus haud deliberati ac præcipites in eorum intellectu, voluntate, oculis reliqviſqve membris ſurgunt, qvi ut reprimantur, haud parum faceſſunt negotii. Iidem vero homines ſunt in eximio gradu ſpirituales: qvatenus S. Spiritus ſuggeſtioni ac inſtinctui ſemet ſubjiciunt, dolendo & averſando ſua commiſſa delicta, proponendo ſibi firmiter perpetuam peccatorum malitiæ fugam, meditando firma cum aſſenſione DEI miſericordiam, Chriſtiqve meritum, enixiſſime anhelando & efflagitando DEI gratiam, ſumme amando DEum & Salvatorem, ingenuè eum metuendo, ſerio propendendo ad omne obſequium


quium &c. Res nullam habet difficultatem. Sola opus est studiosa meditatione animi, nullis præjudiciis fascinati, & in sancto DEI Verbo probe versati.

Ref. 3. DEus largitur nobis notitiam & assensum legis & Evangelii, non per quendam entusiasmum, seu immediatum influxum, sed interveniente assidua lectione ac meditatione Scripturæ scriptorumque theologorum, interveniente item viva voce parentum, Præceptorum, Presbyterorum Ecclesiæ aliorumque sapientum. *Ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς.* His præviis, ad stipulamur legi & Evangelio non ideo, quia nudæ informatorum assertioni ob quendam auctoritatem eorum. *ἀντιπροσδοκῶν* sit subscribendum, (sic nostra astipulatio mera futura esset humana persuasio) sed hanc solum ob causam, quod nostri illi *ἠγούμενοι* in suæ doctrinæ stabilimentum nobis ipsius DEI verba ob oculos sistunt, quæ quando cum assertis magistrorum nostrorum componimus, idem ipsum significareprehendimus. *ἀναγιγνωσκότες, ἢ ἔχησι ταῦτα ὄντως.* Scripta vero utriusque fœderis sacra pro divinis habemus ideo: quia, quod Dn. JESU CHRISTO contigisse in recentioribus legimus, in priscis & diserte est præsignificatum & uberrime adumbratum, quia doctrina horum scriptorum, rem cum æqua libramus lance, tam præstans, tam illustris est, ut pro mero humani ingenii figmento haberi haud queat, quia etiam istæ literæ stupendis infinitæ virtutis operibus innumeris velut quodam sigillo *ἀναμφισβήτην* sunt obsignatæ. *Ἐβεβήσασθαι.* Ita cum se habeat firmus rerum divinarum assensus in quibusvis hominibus, sacra DEI mysteria assidue ruminantibus, sive pio in DEum affectu ferveant, sive mundum hunc nimio opere ament: non est ille profecto mera humana, frivola, umbratilis, fluxa imaginatio, sed suum debet ortum ipsismet prævalidis divinæ gratiæ auxiliis.

Ref. 4. Non obstat id quicquam, quod promta ista
re-

rerum divinitus revelatarum ^{δοχῆ} per adversæ doctrinæ ven-
tum, perqve aleatoriam hominum circumventionem, in
ipsis optimis animis potest subrui, ni per sacri voluminis
perpetuam evolutionem ejus immobilem ^{σημεῖον} & perenne,
stabilimen qvæsierint. Namqve etiam floridissimi culmi
triticei in magno solis æstu facile exarescunt, & â vepribus
suffocantur hirsutis: ni sentes illas evulseris, & qvovis die
aqvam affuderis. Mera vero stolidi illa erat argutatio, si
dixeris, eas virentes plantas, qvæ arescunt, non esse præ-
stans manuum DEI opus, sed purum putum ^{ποίημα} agri:
cum humus ne minutissimi quidem germinis formandi vi-
res in se habeat.

Atqve hæc dicere habui de notitia mysteriorum DEI
solida, adversus exceptiones qvasdam speciosas, qvæ & in-
signem ejus utilitatem, & divinam illius originem, atten-
tant. Nil superest, nisi ut omnes ^{ἑνοθευμαδὸν} profiteamur, so-
lidam legis & Evangelii notitiam esse in piis ^{gratiam} gratos
facientem, in improbis gratiam (charisma) gratis datam,
pios doctores per suam theognosiam ^{abunde}, improbos per
illam ^{sic satis} promovere salutem Ecclesiæ. Videat jam quisq̃
^{ὁ εὐαγγελιζόμενος}, eo quod ^{ἰκανοτητα} πεπίστευτας, ut cœlestem thesau-
rum ^{τῆς γνώσεως τῶν μυστηρίων} in mundo possideat vase, ac mundis
expromat labiis, simulqve exemplar sit pietatis, ob oculos
gregis situm: quo coronam gloriæ amarantinam accipiat,
cun summus pastor olim nobis fiet conspicuus.
Sit illi laus in perpetuum!



AB: 153151

ULB Halle
002 635 879

3




TA-30C

H. 73.







28

DAN. SEVERINI SCULTETI
DISSERTATIO

DE,

SCIENTIA
THEOLOGICA

ET

PIETATE
DOCTORUM EVANGELII,
Quæ utriusque sit necessitas in
ECCLESIA DEI.

FLENSBURGI,
Imprim. CHRISTOPH. VOGELIUS, Anno MDCCXII.